

hac altaris partu manone
filii tu corporis et sanguis
spiritus dei bene dictione celesti
sicut omni uocem dicitur. dicitur
dicitur oca omni fauuloz
et ergo cor nos peccator
mo fum peregit in sonno danc
patis dñe et cum multis in Christo quesca
nisi dicitur ac danc. dicitur
obligo dicitur dicitur dicitur
dicitur dicitur dicitur dicitur
dicitur dicitur dicitur dicitur
dicitur dicitur dicitur dicitur
dicitur dicitur dicitur dicitur

60 S. Bd.

Dg

+



ERNESTI SO-
NERI PHILOSOPH.
ET MED. D. IN ACADE-
MIA NORIBERGEN-
SIVM

Orationes duæ

- I. *De Insomniis,*
II. *De vita contemplativa:*

PUBLICE AB EO DEM HÄ-
BITÆ IN PROMOTIONE MA-
gistrorum & Baculariorum.



ALTORFI

Typis Theodorici, per Cunradum Agricolam.

M D C X

CL. V. Dn. Joanni Potinio, Eloquentia professori
in Illustri Acad. Julia, amicæ recordationis ergo
cum sal. d. m. Cunradus Agricola.

ILLVSTRI, GENEROSO
ET MAGNIFICO DOMINO, D. GOTTF.
FRIDO HENRICO S. R. IMP. MARESCALLO
hereditario, Baroni in Bappenheim, & Dn. in Treich-
tingen, Academiæ Noribergensis pro tem-
pore Rectori, &c. Dn. meo gratioſo.

MOs est, Illustriſ & Generoſe Dn. Ma-
rescalle, Rector Magnifice, ut qui no-
vo Magistratui ſignū dare velint de-
bitare reverentia et latitiae, quam ex iphis honore
percipiunt, quaſi in publicū effusi ex veteri for-
mula FELICITER, & BONVM FACTVM accla-
ment, benè imperii auſpiciis ominusantes. Ego ve-
ro, quum nuper illustri T. M. in Nobiliſimorū
& Clariſ: hominum luce ſceptrum Academie
noſtræ maxima omnium cum expectatione &
applauſu delatum viderē, incredibile dictu eſt,
quanto ſupracateros p̄fusus ſim gaudio, quamq;
in hac inauguratione Illust. T. M. exultave-
rim. Affecit me mirabiliter, quod videbam Il-
luftri T. M. (cuius jam

Creſcit occulto velut arbor aſo
Fama,

cuiusq; indeſes & vultus verè generofus, nescio
quid eximium, & ſupra etatem jam tum mihi
polli-

pollicebatur) ab Academia quoqz nostrâ aliquod
debiti honoris velut insigne & monumentum
erigi. Affecit me etiam plurimum Felicitas, &
bonum Academias nostrâ Fatum, quam sub Tuâ
Sceptro & Magistratus, cœu sub sideris alicuius
illustrioris irradiatione & gubernatione fortu-
natißimam fore omnes auguramur: præsertim
quod à latere Tibi constitutum est alterum illud
Academia nostrâ decus. Clarißimus & Cele-
berrimus Antecessor Dn. Scipio Gentilis f. C.
&c. ex cuius singulari in consiliis prudentiâ at-
que dexteritate junctacum illustri M. T. splen-
dore, velut ex benigna siderum conjunctione,
faustoqz aspectu nihil nisi fortunatum in Aca-
demiam nostram influere posse speramus. Qua-
re officii mei esse putavi, non tantum morem se-
qui communem, sed singularem affectum singu-
lari quoque testari indicio. Qum vero nullum
hoc tempore occurreret aliud, visum fuit istam
de Somniis orationem, jejunam illam quidem,
& balbutientis fætum oratoris, cuius tamen Il-
lustrem T. M. attentissimum habui audiore,
in gratulabundi & exultantis animi mei signū
eidem dedicare, & sub ipsius auspiciis atqz præ-

A 2 sidio



sidio in publicum emittere: alioqui, ut prævideo
à livore & morsu malevolorum parùm tutam
futuram. Hanc ut Illustris T. M. serena fron-
te accipiat, neq; muneris tenuitatem asperne-
tur, sed prolixum offerentis animum spectet,
meq; in clientelam suam recipiat, omni reve-
rentia atq; submissione animi peto. Sic D.O.M.
Illustrem T. M. bono publico diutissimè servet
incolumem, atq; omni corporis et animi prospe-
ritate cumulet ac beet. Dabam Altorfii Cal.
Quintil: Anno M D C X.

Illustri

T. M.

addictissimus

Ernestus Soncrus D.

ERNESTI



ERNESTI SONERI
Oratio
DE INSOMNIIS, RECL-
TATA PVBLICE ALTORFII IN
RENVNTIATIONE OCTO MA-
GISTRORVM,

Die ultimo Iunii Anno M D C X.

*Ad Illustrem Generosum & Magnificum Do-
minum, Dominum GOTTFRIDVM HENRICVM S. R. Imp.
Marescallum hereditarium, Baronem in Bappenheim, Do-
minus in Treichtlingen, Academia Nori-
bergensis pro tempore Recto-
rem &c.*


T qui fundos habent nobiles & sumtuosos,
quorum curam distribuerunt colonis, vine-
as plantarunt, hortos conserverunt, agros
oīs generis consperserunt seminib. Audit:
Illustrēs & Generosi, Nobilissimi, Ampliss:
Magnifici, omniū ordinum præstantissimi,
tūm demūm colonorū industriam ac fidem reipsā perspici-
unt, remq; & operæ precium sese fecisse putant, ubi verno
tempore prata decenti florum varietate & pulchritudine
colorari vident, frutices germinare, arbores florere, luxu-
riare segetes, ac deniq; si messis labori sumtuiq; respondeat:
ita qui Ephebēa & gymnasia primi instituerunt, quiq; dein-
ceps eadem magnā liberalitate sustentant, haud aliter, opi-
nor, consiliorum suorum & impensarum x̄stiment felicita-
tem, aut ministrorum Professorumq; suorum fidem, sedu-
litatem, atq; prudentiam agnoscunt, quām ex ubere ingeni-
orum proventu; si hos quidē ex juventute herbescere, alias
produ-

*Prorector
Andreas
Dinnerus
V.I.D.*

producere florem & certam spcm fructus facere, alios ma-
turitati jam vicinos esse intelligant, itaq; in universum se-
mentem esse factam, ut, quim opus sit, maturas Reip. fru-
ges demetere liceat. Quò respexisse arbitror Viros sapien-
tissimos & Nobilissimos Reip. nostræ, primos huius scholæ
fundatores, quorum memoriā gratâ mente meritò vene-
ramur, quim publicas solemnesq; promotiones in hoc an-
ni tempus rejecerunt, quo terra cultoribus suis, quos haec-
nus admirabili aspectus amænitate delectavit, spemq; tan-
tum utilitatis ostendit, nunc justa laborum præmia uberri-
mâ messe exolvit; ut quasi ad certamen hoc cum naturâ sus-
cipiendum in nostro Literario Campo, aut certè ad imita-
tionem eius nos excitarent. Sapienti sanè consilio, cui æquū
est, ut pro viribus nos accommodemus. Ecce igitur, produ-
ximus heri in conspectum vestrum plantas horti nostri A-
cademici, partim in tenerâ & molli herbâ propter ætatem,
partim etiam in flore & robore adultiori, ipes Reipub. non
multo pòst fructus ingenii ostensuras, vitesq; suas ad com-
munem utilitatem patriæ explicaturas. Nunc eas affero ex
agro philosophico, quas diligens præceptotum cultura, & p-
rius ingenii labor ad maturitatem aliquam excoxit, ut jam
utilem Reip. operâ navare, nosq; in arenâ, ut aiunt, semen-
tem non fecisse luculenter ostendere posint: cuius rei vos
ipsos mox, uti spero, habiturus sum testes. Prius vero
id agam, ad quod non tam mea voluntas, quam loci huius
confuetudo, & expectatio vestra me invitant; ut scil: verba
faciam de re aliqua vobis non ingratâ, nec à meis studiis aut
professione alienâ. Quanquam tenuitatē & infantiam me-
am lubens agnosco, mallemq; ipse aures præbere alli ad di-
cendum instructiori, quam earum usuram à vobis postula-
re; nunc præsertim, postquam Orator hesternus longè di-
sertissimus suavitate sua & elegantia eas delicatores vobis
effecit. Veruntamen quia eò deventum est, unde referre
pedem non licet, vela facienda sunt, quæ me cunq; tempe-
stas



itas excipiat. Quod si favore & benevolentia vestra tenuitatem atq; inopiam orationis mē sublevare non digne-
bitimi, ut sperare me insignis vestra Humanitas jubet, da-
bo operam, ut nec injucunda, nec prolixa de Natura & caus-
sis Insomniorum ex philosophorū scriniis eruant, vobisq;
simplici & perspicuo orationis genere proponam. Id vero ut
faciatis, mihiq; unius semihorulae attentionem benignè tri-
buatis, etiam atq; etiam vos oro & obtestor.

In teromnes operationes animae, nulla est Auditores, que plus
difficultatis aut admirationis pariat in animis hominū quam
somnium: sive enim objecta moventia unāquamq; facultatem
ad operandum, sive operationis modum, sive id q; consequimur
iū operationib. spectes, omnia expedita magis & explorata sunt
in ceteris. Somniorum a. nec q; sit caussa movens, nec quis mo-
dus ea excitandi, satis liquet: iisque non tantum præterita aut
præsentia, sed & futura non raro atq; latentia præsentimus, sine
omni rationis discursu aut syllogismo, & quod maximam diffi-
culturam facit, non vicina tantum quæ nos circumstant, sed lon-
gissimè remota, ad quæ alioqui & propter locorum distantiam,
& propter alia impedimenta nulla humana prudentia pervenire
potest. Qua de caussa divinum aliquid videntur somnia, & ab
Arist: demonia appellata sunt, quasi nullam in natura caussam
habere videantur, siquidem futurorū cognitio solius putatur esse
Dei, et somniorū interpretationē tamq; divinitus concessam atq;
inter oīa divinationū genera admirandam omnes leges celebra-
runt. Cæterū quod contingit plerisq; aliis præcognitionum
generibus, que circares contingentes & mutabiles versantur, ut
ab aliis superstitione exaggerentur et extollantur, tanquā perpe-
tua & nunq; fallentia, ab aliis a. imperitis & ignariis caussarum
superbè contemnantur & omnino explodantur, idem & somni-
is usu venisse comperio. Epicurus n. Metrodorus & Zenopho-
nes oīm divinandi vim à mortalium animis relegantes somnia
tanq; vanas apparitiones & delusiones imaginum animis nostris
per somnum temere occursum despicerunt. Ex altera part
Sticorum



Stoicorum schola nimium somniis tribuens statuit ea esse de-
vinæ bonitatis concessa hominibus beneficia, ac veluti nuncios
voluntatis divinae, unde etiam pavulè suam extruxerunt. Me-
dios reperio Aristotelem, Platonem, Socratem, Hippocratem, Ga-
benum & alios gravis judicii atq[ue] auctoritatis viros, qui nec ni-
bil, nec parum nec nimium etiam somniis tribuendum putant:
cuius sententia veritas apparebit, si quid sit somnium, & à qui-
bus causis proveniat, intelligamus.

Principia. hoc tanq[ue] indubitatum & penè ab omnibus con-
cessum statuendū est fundamentum: In somnia esse motus phan-
tasiæ in somno. Etsi enim Iamblichus & Avicenna intellectus
ea adscripsérunt, satis tamen refutantur vel eo solo, quod etiam
brutis quibus phantasia est concessa eveniunt, quaetamen intel-
lectu carent; cuius evidentissimum argumentū habemus in ca-
ribus, qui nonnunq[ue] in somno sublatrant, ingemiscunt, dantque
alia signa interiorum phantasiarum passionum, quæ mox cessant, ubi
evigilaverint. Aquib[us] igitur & quot casib[us] phantasia in somno
moveri atq[ue] affici potest, ab iisdem somnia quoq[ue] profici sci est ne-
cesse. At constat ratione & experientiâ, quorundam somniorū
caussas esse in ipso somniantis corpore, videlicet humores, cibos,
potus, animi perturbationes & cogitationes recentes, quæ somniū
antegressæ sunt: qualia somnia attendunt Medicini interiorem
corporis constitutionem explorent. Nam quibus bilis flava exun-
dat, iis somniabunt incendia, & rixas: quibus vero atra, iis tetra-
& caliginosa spectra, funera & carceres per somnum occurrent:
Si sanguis exuperet probus & spirituum copiâ fulgidus, isti per
quietem gaudebunt letis, tractabunt jocosa, loca amana peram-
bulabunt, quin & volare sibi nonnunq[ue] videbuntur. Sin vero p[ro]l-
tuta per corpus diffusa sit, inundationes aquarū, pluvias & im-
bres obversantes habebunt, in currendo gravitatem & impedi-
menta varia sentient. Quorum omnium caussa est, quia nulla o-
peratio animæ fit sine spiritibus, qui idcirco commune anima in-
strumentum appellantur: spiritus autē suscitantur ex humorib[us]
ab iisq[ue] inquinamenta trahunt ipsorum naturæ conformia, quæ
postea



postea puras imagines quas deferunt, simul contaminant, haud
aliter atq; oia rubra apparent, quæ cernuntur per vitrum rubrū,
et si rubra non sint, communicante scil: vitro & permisceente co-
lorem suum proprium cum colore rei visibilis. Eadem est ratio ci-
borum & potus: cuiusmodi enim sunt ipsi, eiusmodi etiam eva-
porationes de se per coctionem emittunt, quæ permixtæ spiritib.
animalib. phantasia in somno illudunt. Vnde prudenter Pytha-
goras se suosq; discipulos à carnium, fabarum aliorumq; flatu-
lentorū & crassos vapores emitentiū ciborum esu abstinuit, ut
scil: & noctes quietiores transigerent, & animū ad philosophan-
dū puriorem afferrent. De animi perturbationib. curis & cogi-
tationibus profundioribus, quas interdiu nimis impressimus,
nihil mirum est, si earundem motus in phantasia durent etiam
per somnum, cessantibus aliis motibus et operationibus sensuum,
à quibus aliquantis per obscurabantur: Ut enim qui navim im-
pellit à litore, aut lapidem projicit, longius protrudit, quam co-
mitetur manus impellens, ita ut cessante manu protrudente, du-
ret tamen motus in navi & lapide: sic quoq; qui fortem motum
in phantasia concitavit, et si postea cum urgere desinat, & ad
alios transeat, nihilominus durat concitus in phantasia, pro
fortiori aut debiliori eius impressione. Hucque igitur perve-
nisse facile est, nec multa de his inter auctores dissensio. At il-
lud explicatu non est facile, quomodo, & à quibus causis illa in-
sonnia siant, quibus non quæ in nobis sunt, sentimus, quorumq;
causam moventem nobiscum circumferimus, sed quæ vel amicus
nostris ultra Herculis columnas, & ad Borysthenem constitutis
eveniunt, aut eventura sunt, percipimus, vel nobis ipsis insignem
aliquam felicitatem, infortuniumve ab externâ causa immi-
nere præfigimus. Talia enim sonnia nec rara esse, nec casu eve-
nire certum est. Vix enim multis è millibus unum esse arbitror,
qui non per vitam suam aliquid de seipso, aut familiaribus suis
per somnum haud vano eventu præsenserit. Quin imo rara ex-
tierunt regnum, urbium, familiarumq; eversiones, quæ suæ
per insomnia prædictiones non habuerint.

B

Exem.



Exempla infinita proferre possem, nisi supervacaneum laborem in re manifestâ & omnibus notâ suscepturus mihi videber. Quis enim tam in historia Romana hospes est, ut nesciat Calpurniam Iulii Cæsaris uxorem eâ nocte, quam Cæsar in terris ultimam egit, in quiete vidisse collapsum domus fastigium, multisq; vulneribus confectum maritum in sinu suo jacentem? cui somnio si fidem habuisset Cæsar, seg; à Curia abstinuisset postridie, parricidium corporis sui, viginti tribus vulneribus in Curia patratum, impedivisset. Quis item nescit Augustum Cæarem, quū æger in Castris decumberet, quo tempore Romani exeroitus in Campis Philippicis concurrere debuerunt, præmonitum somnio Artorii medici sui cladem evitasse? viderat enim medicus per quietem, fore, si Cæsar in Castris maneret, ut ab hostibus obrueretur: quod procul dubio evenisset, si quidem postquam congesserant exercitus, castra eius à Bruto capta sunt. Non prætermitt-

lib. 2. de in-tam quod recens est de Petro Bembo: refert autem Hieronymus tellectione Fracastorius, vir spectatae fidei & eruditionis, ex ipsius Bembì fol. 198.

ore exceptpm. Habebat Bembus litem cum nescio quo; quum vero dies instaret, quo à judice sententia promulgari debebat, pridie illius diei dicebat matrem enixè ipsum rogasse, ne sequenti die in judicium ascenderet: somniasset enim se illum vidisse vulneratum à reo in digito minimo sinistræ manus. de quo somnio quum ipse consolatus matrem fuisset, dixisset q; fallacia esse somnia, in judicium processit, ubi post multam altercationē quum à judice recessissent, reum dicebat educto gladio percussisse ipsum eodem digito, qui à matre fuerat demonstratus. Omitto sacra & alia innumera profana exempla, quæ passim apud scriptores fide dignos occurrunt. Huiusmodi igitur in somnia casu fieri verisimile non est, quū tam frequenter eveniant. Quod si cum falsis quibus nullus respondet eventus, comparata videantur rara esse, non tamen hinc efficitur ea temere fortuitog; fieri. Nā & Eclipses Solis & Lunæ rarae sunt, nec tamen Casu eas tribuere fas est. Cur autem non omnia contingent quæ per somnia ostenduntur, paucò post patebit, Nunc istorum somniorum caussam scrutemur.

Credi-

Crediderunt non tantum Stoici, sed & antiquiorum nonnulli;
huiusmodi somnia omnia à Deo immitti, nec ullam habere causam
naturalem: quod ut impium esset negare de quibusdam, ut
de somnio Iosephi, Pharaonis, Nabuchodonosoris & similibus, ita
vanum & nimia credulitatis ac superstitionis esse putamus de
omnibus afferere. Argumentum non leve, ut opinor, est in con-
trarium, quo etiam philosophus utitur; quod scil: non tantum
prudentibus, bonis & religiosis hominibus, sed improbis quoq; &
sceleratis prævisiones istæ & recta somnia contingant, ac sepè
magis quam probis: neq; semper de rebus ad salutem publicam,
aut propriam ipsorum somniantium commoditatem & emenda-
tionem spectantibus, cuiusmodi Deum immissurum esse credi-
bile est, sed plerumq;, aut certè frequenter de rebus levibus, turpi-
bus & perniciosis, veletiam neutrīs: quale est illud lepidum, q'
idem Fracastorius refert de M. Antonio Flaminio. Is quū Genuæ
esset apud Magnificos Saulos, nec satis valeret, animi gratia com-
modato acceperat librum quendam lingue maternæ, quem quū
dies aliquot legisset, non adhibita multi à cura reliquit super le-
ctulo quodam: mox quum repeteretur liber ab eo, qui commoda-
to dederat, quæsus multum fuit, nunq; autem inventus. quod
quum satis molestè ferret Flaminius amici causā, cui commo-
datum non poterat reddere, per somnum tandem invenit hoc
pacto. Videbatur sibi quædam è domesticis ancillis librum tollere
è lectulo illo, in quo ipse eum reliquerat, quem quum vellet pu-
ella in mensam quandam transferre, cecidisse aiebat vidisse li-
brum, fracta altera è duabus tabulis, quibus contegebatur. quod
perspiciens ancilla, trepidè librum abscondisse occulto quodam
in loco videbatur. Somnio habito, quum ipsum manè Flaminius
vulgasset, placuit librum inquirere: qui illic inventus fuit, ubi
in somno viderat abscondisse illum puellam, fracta etiam tabu-
la, ut viderat. Ergo interrogata puella, unde librum sustulisset,
& quomodo fracta fuisset tabula, & cur abscondisset, omnia
eodem ordine narravit, quo Flaminius in somnis viderat. Hic
credo, nemo quicquam suspicari poterit, cur Deus hoc somnum:

B: 2 immittit



immittere debuerit. Accedit, quod quæ divinitus offeruntur vi-
sa, non magis noctu in somnis, quam de die vigilantib. ostendun-
tur, ut testatum faciunt sanctorum Prophetarum visiones. Eâde
ratione convincitur, quod negat à dæmonib. proficiuntur omnia,
quæ fuit Porphyrii & quorundam Platonicorum opinio: Si qui-
dem nulla caussa est, cur magis noctu, quam interdiu id facturos
dæmonas credere debeamus: quum & Socrates demonii sui vo-
cem magis de die vigilans, remq; aliquam minus feliciter sibi
successuram aggressurus exaudiverit.

Magis Physicè Democritus atq; Synesius loqui videntur,
nimis species quasdam & simulacra à rebus ipsis emanare ad
phantasiam nostram, eisq; sese communicare. Veruntamen schola
peripateticorum eiusmodi simulacrorum defluxum non admit-
tit: quippe oporteret ea in medio interjecto recipi: quæ autem ta-
lia sunt, certam ac definitam habent distantiam, ultra quam sese
non provehunt: quemadmodum sonos non ex quantocunq;, sed
ex certo tantū intervallo audimus. At somnia nullo intervallo
excluduntur, nullis mediis intercipiuntur, sed longissimè dissita
referunt, atq; etiam futura representant.

Sed nolo aures vestras tædiosâ opinionum commemoratio-
ne fatigare: quin potius quam veriorem judico sententiâ statim
vobis aperiam. Caussam sanè veriorem non invenio ea, quæ
princeps noster Aristoteles naturæ genus, & prope dicam, ter-
minus sapientiæ humanae nobis reliquit: quæ quia nec vulgaris
est, nec cuivis obvia, imò etiam à paucis ipsis interpretibus in-
tellecta, libet eam vobis fusim explicare: nec dubito, quin ea
perceptâ assensuri sitis, & omnem ex animo dubitationem di-
missuri. Statuit igitur is, quum innumera penè lateant in ani-
mâ nostrâ eorum quæ sensimus aut intelleximus imagines, mo-
verieas à rebus externis, quarum imagines sunt, motu quodam
peculiari; ita quidem, ut quacunq; rebus ipsis eveniunt foris,
phantasiæ per motum istum communicentur, qui similiter dispo-
nit imagines in animâ, quomodo res externæ afficiuntur: Et huc
motu non esse imaginum aut simulacrorum effluentium ex re-
bus



bis per medium, ut voluit Democritus, sed esse rei ipsius externe
inphantasiā actionem, medio quidem aliquo interposito, nullū
tamen motū aut affectionem in se recipiente, unde etiam huiusce
medii major aut minor quantitas, crassitas, tenuitas, longitudo,
nihil vel confert, vel officit. Hic non dubito motum istum multis
imaginariū & ad libitum confictum, hancq; rationem somni-
orum absurdiorē, aut certè minus probabilem visum iri, quam
quas supra repudiavimus. Quem tu, inquiet, motum in somniis
nobis somnias? Ipse Philosophus docet, in omni motu agens ne-
cessario jungicū patiente, sive immediate, sive medio aliquo,
quod ipsum tamen motum in se prius recipiat, quām eum patien-
ti communicet: quomodo enim aér inter me & focum interje-
ctus calefacere me potu sit; nisi ipse prius à foco incaluerit? aut
quomodo manus mediante baculo lapidem impellere possit, nisi
ipse quoq; baculus moveatur? Sustinet queso, & num similis in
naturā motus aliquis reperiatur, mecum dispicite. Torpedo pi-
scis marinū manū pescatoris stuporem inducit, ut rerum natu-
ralium scriptores confirmant, etiamsi eam non tangat nisi medi-
anter reti, aut perticā. Num tu igitur rete, aut perticam stupefa-
ctam quoq; dices? Lapis Herculeus Magnes dictus acum ferream
tabula impositam, ipse sub tabula motus, motu suo circumducit,
quiescente tabulā, aut quocunq; corpore intermedio. Idem trahit
ad se ferrum per medium aërem aut aquam, non attracto prius
aère vel aqua. Quod si vim quandam trahendi ferrum aëri in-
termedio communicatam à Magne dicas, cur igitur aér inter-
medius per istam vim ferrum attractum non sibi detinet, sed il-
lud dimitit ulterius ad ipsum magnetem? Est præterea virtus
quædam locinativi magnetis, quæ eum ad se vergere ac respicere
cogit, ubiunque tandem fuerit, sive in nostro orbe, sive ad In-
dos transferatur: quem hic motum in tam vasto medio rece-
pitum imaginari potes? Ecquid de unguento stellato dicendum
putabimus, quod vulgo armarium vocant, nostri die Waffen-
sab? Negare quod sensus, & experientia, quod fides item tot
gravissimorum hominum confirmat, extrema est protervia

atq; vesania. Quis v. in eo curationis modo in medio motu excepitur? Audiamus, quæso, etiam Alexandrum Aphrodiseum, doctissimum Aristotelis interpretem, cuius tanta fuit auctoritas olim, ut qui ex ipsis scholâ non prodūisset, Philosophus non haberetur. Is in 1. Meteorologicorum dubitans, quomodo Sol calefaciat & igniat aërem, quum eum non attingat, quippe interjectis Veneris, Mercurii & Lunæ sphæris, quæ impatibiles sunt, neq; aptæ recipere calorem, quem postea aëri tradant. Respondet dubitationi, nihil prohibere quo minus per corpora aliqua, quæ ipsa quidem affectionē aliquam suscipere nequeant, aliud tamen aliquid eam patiatur: non enim quodvis à quovis pati aptum esse; aptum tamen esse posse, ut ipso cœn medio, impatibili licet, agens utatur. Exemplum rem declarat. Idem Sol per vas vitreum aqua frigidâ plenum trajiciens radios, incendit et perurit paleas, quæ ultra vitrum positæ sunt: neq; tamen necesse est prius incendi & comburi vitrum aut aquam, & sic deinceps incendium transire ad paleas. Pariter inquit Sol caleficere aërem sublunarem potest, et si interpositæ sphæræ inferiorum Planetarum non calefiant. An non etiam colores corporis objecti ex intervalllo oculos nostros afficiunt? Et tamen aërem interjectum haud quaque colorari videmus. Ecce igitur ut non necesse sit medium semper eandem affectionem pati, cuius communicanda se præbet ministrum. Ad conjunctionem autem sive contactum agentis & patientis, satis est in quibusdam medio aliquo tangere: per vacuum enim interpositum nunq; transiret eiusmodi operatio, quia vacuum nullum est medium: in aliis autem aliquid præterea requiritur, quod aliquando proximè tetigerit: nam unguenti armarii nulla est vis sanandi vulnus absens, nisi applicetur telo quod vulnus fecerit, adeoq; rem vulneratam immediate aliquando tetigerit. Fidem quoq; faciunt jam dictis multa alia, quorum certa & indubitata extant testimonia. Cujusmodi est, quod qui lupi rictum inspicerit obmutescit, quum tamen is qui medius inter lupū & inspicientē existit, aut ei proximè adstat, nihil patiatur malo, mō oculos claudat vel avertat.

AE:

at si malum istud medio communicaretur, multo magis, aut saltem non minus illum, qui medius extitit, luem excipere & obmutescere oporteret. Fertur quoq[ue] deis qui aliquando à serpente læsi, aut canis rabidi dente sauciati fuerunt, eorum intervenitu vulnera aliorum aggravari, vitiari gallinarum accubitus, et pecora facile abortire; illæsis alius in eodem aëre cum ipsis versantibus. Sic lippi eorum tantum oculos contaminant, qui ipsos adspiciunt, ceteris in eodem conclavi salvis, licet vicinioribus. Sic vetule aspectu infantes fascinant, sine infectione medii. Hæc & similia, nisi vehementer fallor, evidentissimè demonstrant dari in rerum naturâ actiones, ubi agens & patiens tangunt se quidē medio aliquo, motus tamen agentis in medio isto non recipitur. Quid mirum igitur si hoc modo phantasiam quoque à rebus externis moveri dicamus? præsertim si hac ratione somniorum posita, & ferè solâ, omnes facile absurditates, quas patiuntur aliorum sententia, evitemus, & omnes difficultates nullo labore expediamus & superemus. Video quid dubitationem facere possit. Dicet fortassis aliquis, exempla à me allata esse tantum eorum in quibus agens & patiens sunt eiusdem generis, ut quando vis corporea agit in corpus aliud, veluti lippus oculus in oculum sanum, rictus lupi in fauces sani hominis: diversam autem esse rōem istorum motuum, quos in phantasia à rebus externis suscitari dicimus, quum affectiones istæ sint spiritales, ut & ipsa phantasia, res autem externæ ut plurimum corporeæ: non posse igitur corporeas affectiones ciere motus spiritales in phantasiâ. Sed profecto hoc nullum est momenti; nam neq[ue] equus qui visu tuo obversatur foris, eiusdem est generis cum eo qui in oculis tuis est: neq[ue] qui in oculis est, eiusdem est generis cum eo qui in phantasia & intellectu; & tamen alter istorum movet alterum. Similiter imago speculi, corporea affectio non est, & tamen movetur ad motum corporis objecti cuius est imago. Quâ igitur facilitate imago hæc equi primo in phantasia genita est ab objecto externo, eadem rursus ab eo moveri potest. At genita est, inquit, mediante sensu: idcirco enim imago Bucephali est in phantasia

phantasia sua, quia eum aliquando vidisti, aut de eo audivisti: quae vero personum apparent, non illabuntur per sensus, sed recte expectunt phantasiam. Objiciunt & illud; nihil esse in intellectu aut phantasia, quod non prius fuerit in sensu, Ex quo omnino effici videtur nihil externum movere posse phantasiam, nisi per sensus intret, ideoq; commentum esse hanc Aristotelicam somniorum rationem. Quomodo illud philosophorum axioma intelligendum sit, mox dicemus: nunc verò manifestū faciamus phantasiam & res externas, sive corporeas sive incorporeas, posse se mutuo afficere. Id verò spero me facile à vobis obtinere posse, si ipsam phantasiam in corpus non modo proprium, sed etiam extraneum, imo & in alterius phantasiam agere posse probavero, sine medio sensuum, nullam fore caussam, cur quis eam ab extra- neis sive corporeis sive incorporeis similiter pati posse negare debat: præsertim quum eius natura magis in patiendo consistat, & patiatur indies ab affectibus corporeis organorum sensuum, puta à sono aurium, sapore linguae, colore oculorum &c.

Et quidem quod in corpus proprium plurimum agere, illudque immutare possit phantasia, infinitis experimentis constat. Quis enim nescit mulieres utero gerentes, si quid impensius concupiverint, reiq; negat æphantasiâ diutius torqueantur, eius vestigium imprimere corpori fætus: est autem fætus pars corporis ipsarum quam diu eis est adnatus. Quis nescit multos ex conspectu vulnerum aut sanguinis, quo terretur ipsorum phantasia, in animi deliquium incidere? Infantes lumbricorum morsum, cuius sensus in somno ad phantasiam defertur, dormientes imitantur masticando: quod multo conspectius est in ganeonibus & parasitis, quibus ex phantasia conspecti edulii protinus saliva movetur, & tanquam præsentem cibam ore mandunt. Illud vero proprorsus mirabile est, quod refert Thomas Rodericus à Vega: doctissimus Hispanus, Medicus & Philosophus summus, se negat à vulgaribus, negat à paucis testibus accepisse, in ea melancholie specie, quæ Hydrophobia dicitur, ex morsu canis rabidi orta, tandem aliquando fuisse vim imaginationis, ut ægrotos non tantum

artis fol. 123 reprobus mirabile est, quod refert Thomas Rodericus à Vega:



ad latratum & ambulationem caninam coegerit, sed eos q; perdaserit, ut frusta & simulacra canum in eorum urinis conspecta fuerint. Nec minus admirationis habet, quod idem resert de Hispano quodam, qui quum ex febri ardenti decumberet, & frequenti delirio postulasset concedi sibi natationem in illo stagno (monstrabat a. pavimentum cubiculi, quod stagnum esse imaginabatur) constare enim sibi, quod ab ea natatione convaliturus esset, permisus tandem fuerit a Medico. Quu ergo post aliquantum temporis spaciū supra pavimentum cubiculi crebro sese cum summa voluptate voluntasset, dixisse eum, jam aquā sibi ad genua adscendere, optare tamē eam ascendere altius: paulo post latiorem factū clamasse, jam aquā inguina tangere, et sic deinceps secundum imaginationis concepta aquā subinde ad guttur usq; accrevisse, & tum hilari facie ex aqua, ut putabat, eum ascendisse in lectum, seg; febri liberatum pronunciassē, id quod superveniens medicus verum deprehendit. Quis queso negabit istum hominem propriæ imaginationis vi et efficacia ad corporis sanitatem rediisse? Ecquā etiam caussam afferre aliam possumus, cur qui oscitantem aspicerit, ipse quoq; cogatur oscitare, nisi quod oscillationis phantasia, moveat propria oscillandi instrumenta facile mobilia? idem in sternutatione & aliis experiemur, nisi majori vi ad ista opus esset, & instrumenta non adeo relatarentur. Eadem est ratio, cur in armentis et gregibus brutorum, uno bibente aut mingente, idem faciant cetera: moventur enim eadem partes corporis phantasia rei conspectus.

Sed fidem penè superat, quod diximus phantasiam non tantum proprium, verum etiam aliud extraneum corpus, alteriusq; phantasiam movere posse. Et quanq; id pleriq; negant, experientia tamen verum esse testatur, licet rarius eveniat ob varia impedimenta. Gel. l. 16. c. II. lius resert in Noctibus, gentem quandam in Italia fuisse Marsos, ornam à Circæ filio, cui priusq; cum externis cognationibus permixta etq; corrupta esset, vi quadam genitali datum fuerit, ut serpentū virulentorum domitores essent, & incantationib. medelarum miracula facerent: quod sane haud aliunde quam ex forti imaginazione, qua eos quos curare debebant, comprehendenderent, fieri potuisse reor. Verbis enim & incantationibus vim tribuere vanum est.

C

Quod



Quod si vim quandam salutarem & alexiteriam corpora ipsorum
expirasse velis, cuius contactu serpentes domiti, & agris sanati fue-
rint, poterat sanè id fieri sine incantatione aut cogitatione de agris
suscepta: qd tamen factum non est. Incantatione igitur usos puto, nō
quod ei in virtute quicq; efficerent, sed quia dum incantationi aūm
intenderent, imagines curandorū interim in phantasia sua fortiter
versarent, eisq; sanitatem cuperent. Contrarium de Psyllis scribitur
& alius quibusdā Africæ familiis, quod earum laudatione prata in-
ticeant, arbores exarescant, emoriantur infantes. Vtrum hīc effica-
ciam laudationi tribuemus, quæ verbis peragitur, an potius phan-
tasia, quæ laudationi intenditur? Huc quoq; quod de Basilisco nar-
ratur, parum abest quin referam. Quum enim visio fiat non extra-
mittendo aliquid, sed recipiendo, ut satis demonstrant peripatetici,
quæcaussa est, ut si prior conspiciatur ab homine Basiliscus, ipse mori-
riatur: si v. prior hominē conspicerit, eum necet? Si aspectu hanc
necem peragi velis, contrario modo fieri debebat, & si prior mori, q
visu alterius mortiferā speciem prior recepisset. Ego v. Auditores,
hanc suspicor esse caussam, quod is, qui prior alterū intuitus fuerit,
prius etiam imaginationis vim & aciē in eum dirigat, ipsumq; con-
fodiat. Sed maneat hæc lis sub judice. Illud credo nemo mihi negabit
pter auctoritatem summi viri Augustini, quod ex eo refert Carda-
nus. Vir quidam Præstantius nomine, petierat à quodam Philosopho
solutionē nescio cuius dubitationis, quā quū Philosophus detrectas-
set, forte imparatus, nocte sequenti vidit Præstantius, tametsi vigi-
labat, adfistere sibi Philosophū, ac dubitationē solvere, moxq; abire.
Postero die quum Præstantius eundem ob viam sibi factum interro-
gasset, cur pridie rogatus noluisset questionem solvere, nocte a. in-
tempstā & venisset ad se, & dubitationē aperuisset, respondit Phi-
losophus: non equidem ego adveni sed somnians visus sum tibi hoc
officium præstare. Attendite quæso, phantasia philosophi dubii solu-
tionē somniantis, in tantum potuit permovere phantasiā Præstan-
tii vigilans etiamnum, ut is adfistere sibi philosophum, eumq; au-
dire se putaret. An dubitatis amplius moveri phantasiam posse à re-
bus externis non moto prius sensu? Forsan à rebus saltē corporeis
eam moveri non posse arbitramini? Dicite mihi ergo, cur qui labo-
rant antipathia cum felibus, feles in eodem conclavi occultatos se-
p. 501 I

tiant, eorumq; præsentia angantur, horreant, sudent? quos tamen
neg_z visu, neg_z auditu, neg_z olfactu se deprehendisse fatentur. Ans
non idcirco fit, quia seles prius mouent phantasiam, (intus. n. angi
incipiunt) exinde motus in corpus resultet? Cur item occisorum ca-
davera horrorē incutiunt interfectorib. transeuntib. ignoris eti-
am quodlibet lateant? Sed frustra sum ut plurib. hoc ostendere labore.
Ex dictis luce meridianā clarus patere arbitror moveri phantasiā
nostram posse à rebus externis, quæ per sensus non intrent. Quod a-
dicunt Philosophi, nihil esse in intellectu et phantasiā, quod non pri-
us fuerit in sensu, id sano modo accipiendum est. Neg_z, n. hoc volunt,
prorsus nihil imaginari nos posse, nisi quod sensu perceperimus pri-
us: quippe hac ratione nihil etiam per nos ipsos nostrā sponte inve-
nire possemus, sed omnia prius inventa vel audivisse, vel vidiisse
oportet. Repetat unusquisq; memoria sua somnia, & ea consultat:
quoties vidit in somno personas diversissimas in unam personam,
coaluisse, loca item distantissima conjuncta fuisse, & infinita alia
quæ nunquā confusa vidit, neg_z audivit? Sed hic est illius axioma-
tis verus sensus: De nulla re nos quicq; imaginari, aut cogitare posse,
quæ vel ipsa aliquando, vel saltē eius partes per sensum, non in-
gressae sint. Nam Hippocentaurum nunq; imaginari possem, nisi &
equum & hominem aliquando distinctos vidiisse, ex quib. is com-
ponitur. Sic neg_z Sirenas cogitatione comprehendenderem, nisi & vir-
ginem conspexisset & pīcēm. Non est a. necesse, ut quæ phantasiæ
conjungere potest, eadem quoq; re ipsa sint conjuncta, et sic aliquan-
do sensu percepta. Quarumcunq; igitur rerum imagines vel totas,
vel secundum partes semel per sensum accepit phantasia, earum po-
stea varias affectiones sentire potest sine sensu, non aliarum. Vnde
fit, ut somnia nulla habeamus de iis, quæ ad oculos auresve nostras
nunq; pervenerunt, sed de amicis tantum & notis, quorum imagi-
nes vel semel tantum aliquando ad phantasiam memoriamq; nostrā
per sensus externos introiverint. Est. n. phantasia veluti speculū, in
quo relucent imagines rerū externarū: qđm igitur in speculo ima-
go mutatur & conformatur rei externæ quā representat, ita etiā
imago in phantasia insegrum motōem rei externæ: & ut eius objectū
externi, cuius species ad speculum non pīngit, nulla etiā mutatio in
speculore lucet, ut cunq; extra in varias se mutet formas: ita etiam



eius rei imago in phantasiam nostrā per sensum nunq̄ intravit pr̄e-
us, eius fortunā & casus neq; per somniū neq; vigilantes percipimus.

Non est a necesse, ut quoties motus ille in phantasiā fieri debet,
quoties de novo per sensus externos res objecta sese insinuet: sed satis
est semel per eos influxisse: qđm in curatione vulneris absentis per
unguentū armarium sive stellarū, non est necesse, ut telum cui appli-
catur unguentū perpetuo tangat vulnus, sed satis est tetigisse semel.

Concludamus igitur somnia ista, quae neq; à causis internis, neq;
à Deo immediate immittuntur, esse motus phantasie factos à rebus
externis, quarū aliquando imagines, per sensus externos ad phan-
tasiam sunt illapse. Et huic motui similes sunt loquitiones angelo-
rum ac dæmonū: quā illi aliquando phantasiā nostram etiā dum vi-
gilamus, p̄cellunt: unde nonnunq̄ videmur nobis audire vocem an-
geli aut dæmonis suadensis aliquid aut dissuadentis: qđ tamen voces
proximè adstantes minimè percipiunt: nempe quia non est sonora
per aures ingrediens sed tacitus & occultus phantasie motus. Talis
fuit vox dæmonii Socratis, quam præter ipsum nemo exaudivit. Et
hinc, opinor, Aristoteles somnia appellavit dæmonia, quod similia
sint loquela dæmonum.

Verum interqueat hic aliquis contra me telum, quo supra fugae-
vimus antiquos: Si .n. imagines in phantasia ab objecto suis exter-
nis moventur, nulla caussa est, cur id noctum magis & in somno, quā
interdiu fiat. Huic paratum habet responsum philosophus: Omnino
illos motus non minus fieri de die, quam nocte, verum nocte à dor-
mientibus magis percipi, quum nox sit tranquillior, unde etiam so-
nos ex longiori intervallo cum audimus: interdiu autem omnia
agitantur & turbantur tam interna qđ externa, sensus in præsentib.
objectis occupantur, ac subinde novis rerum imaginib. phantasiam
interpellant & distrahunt. Addo quod motus, qui à sensu ad phan-
tasiam tendunt sunt vehementiores: quare mirum non est, si imbe-
cilliores à rebus externis factos obscurent, veluti minus lumen ma-
joris præsentia, & dolor remissior unius partis, ab acutiori in alia
parte obscuratur. Neq; tamen semper ita latent isti quoq;, quin ali-
quando se prodant etiā in vigilantib. atq; in corpus redundant. Nam
non raro in subitaneum resolvimur gaudium, & exultamus sine
causa



causam manifesta: aut contra graviter percellimur animo, atq; in mæ-
gorem concicimur, pallescimus, animo linquimur, corpus concuti-
tur horrore, sudore perfunditur, aures tinniunt, & id genus alia pa-
timur, quorum tum temporis rationem nullam reddere possumus.
Distinctius vero istos motus sentimus in somno, quia tūm sensus ex-
terni à munere suo feriantur, nec phantasiā interpellant. Hæc quoq;
ratio est, cur Melancholici aliquando futura præsagiant: dicuntur n.
somniantib; similes, & melancholicorū deliria, vigilantium somnia
appellantur. Ut enim apertus somniantis omnium sensuum exterio-
rum organa ceu otiosa suspendit ac deserit, interiores a. phantasiæ
motus tantum percipit, qui somnia dicuntur: ita Melancholici, dū
naturæ sue indulgent, animū ab externis abstrahunt et intu quasi
perpetuam tranquillitatem habent, non interruptam perturbatio-
nib. sensuum, unde contingit iis magis percipere istos motus à rebus
externis in phantasiā absq; sensum ope transeuntes, quam al. is ho-
minibus, qui animum potius in objectis sensilibus occupant. Ideme-
nevit illis, qui in ecstasi aut profundo animi deliquio detinentur:
quia p. omnium sensuum operationes in iis cessant, nec animus in-
vitatur ad percipiendum motus sensibilem præsentium, sit non ra-
go ut Patriæ, parentum & amicorum fatum jam inchoatum & post
demum consummandum præsentiant, & resuscitatiprædicant. Hu-
jusmodi est, quod Plinius refert de Hermotimo Clazomenio. eius a. 1. 7. c. 52.
nimā relicto corpore errare solitam, vagamq; è longinquō multa an-
nunciasse, quæ nisi à præsenti nosci non posse videbantur, corpore in-
terim semianimi, nimirum ecstasi pari consueverat Hermotimus,
quam non intelligentes adstantes, neq; rationem videntes, quā lon-
gina percipere posset anima in corpore manens, animā eius relicto
corpore oberrasse falso crediderunt. Sed fluctuat adhuc animus du-
bitatione circa futurorū præfagia: nam que nondum sunt, quomo-
do ea phantasiā movere possint? Difficilis sanè modus: solvitur
tamen si statuamus, quemadmodū res quæ præterierunt, sui vestigia
relinquent, ita eas quæ futuræ sunt, indicia quædam p̄mittere. quæ
quidem indicia, utpote jam actu præsentia movere possint. Manife-
stum est hoc in tempestatib. quarum mutationis signa præcedentia
et si à nobis nō animadvertuntur, à gallo tamen gallinaceo, pavone,

birundine et aliis bestiis, quarū sagacitati hanc prærogativā natura
cōcessit, dephenduntur, nobisq; voce ac cantu annunciatūr. Accedit
quod q̄ futura sunt, non raro tanq; p̄sentia et jam confecta in aīo con-
sultoris, & autoris phantasiā hærent, unde cōmunicari possunt non
ut futura, sed ut p̄sentia. Postremo quæret quispiam, si ita res habet,
cur non oīa eveniunt, quæ somniantes videmus? Ad hoc respondere
non est difficile: non n. ad fatalē necessitatē oīa cogim⁹, aut cursu
irrevocabili cuncta ferri censemus. Hæc natura contingentium est, ut
fieri et non fieri possint. Multa interturbat casus atq; fortuna: mul-
ta prudentū consiliis evitantur & corriguntur: plurima divina p-
videntia inexplicabilis impedit ac dissipat. Sæpè coguntur nubes, nō
tamen ppetuò sequuntur imbræ: multi apparantur & instruuntur
exercitus, nec sunt bella: non raro apparent præsagia pestis nec seq-
turi strages: neḡ oīis sumus in flammam exar descit: & in summa ut
cum philosopho loquar, non oē fit, quod futurū erat, neḡ idem sunt tō
ēōīudrovū & μέλλου: Adde quod plerung; turbātur & confunduntur
phantasmata inter se: imagines. n. naturam humorum aut ciborum
referentes cōmiserunt cum phantasmatib. extrinsecus motis, eaq;
adulterant, deturpant, adeoq; nonnunq; monstrosa efficiunt, ut vix
quicq; proprii & puri retineant. Vnde cibiorum somnia, et q̄ post ci-
bum contingunt, ut plurimum sunt falsa: quæ a. peracta coctione,
sedatis humorū motib. spiritibusq; depuratis obrepunt, ut matuti-
na, plerung; veriora sunt. Est .n. tanta vis multitudinis vaporum
è cibis, humorumq; ebullitione ascendentium, ut non tantum phan-
tasiæ motus à rebus externis suscitatos obscurare & depravare pos-
sint, verū etiam, ut oīo non percipiatur officere: quâ de causa dixit

4. hist. aīal. philosophus pueris ante V. annū nulla contingere somnia, aut valde
10. & 7. hist. obscura quorum vix meminisse possint: imo hinc est, quod qdam, ut
animal. 10. idem asserit per oēm vitā nulla videant insomnia, quales Plutarch.
dedefectu quoq; commemorat: Herodotus a. de Atlantib. Africæ populis in
oraculorū universum testatū religt: ppter celerem scil: motum spirituum. Ve
propè finē. n. rota celerrimè in gyrum acta non moveri, sed quiescere videtur.
Herod. li. 4. nec quicq; distinctum in eā notare visus noster potest: ita etiam in
celeri spirituū & phantasmatum motu accidit phantasiæ, ut vident
da nihil videat. De Nerone quoq; Suetonius refert, q̄ nulla somnia
habuerit, nisi post intersectam matrem: verisimile est enim, sum ex



sceleris conscientia refrixisse animum, spiritusq; defecisse, unde mo-
bus eorum rarioꝝ & tardior, ideoq; perceptibilis extiterit. Confusio-
ne igitur imaginum à diversis causis motarum accidit, ut raro hu-
iusmodi motus sinceri à phantasia dignoscantur: quapropter etiam
matutina somnia raro sunt pura et recta, sed plerung; sub specie ali-
qua simili res externas representant: ut si vis mihi ab hoste immi-
neat, occurret fortassis in somno ursus, vel latro: amicus v. aut be-
nefactor sub patris aut numinis alicui⁹ specie sese mihi offeret. Hinc
ait philosophus, qui noverit similitudines perspicere, eum optimū
& artificiosissimum fore somniorum judicem atq; interpretem. Sic
legimus de Iulio Cæsare, quod quum apud statuam Alexandri Ma-
gni quodam die ingemisset, quasi eā etate adhuc nihil insigne ges-
sisset, qua Alexander imperium orbis adeptus fuerat, nocte sequen-
ti somnia averit, se stuprum matri intulisse: quo ostento interpretes
responderunt significatum ipsi imperium terræ, quæ esset oīm ma-
ter: rectius fortassis interpretabimur Matrem Romanam patriam
ipsius, cui stuprum quodammodo intulisse videri potest mutatione
status Reip. Idem Iulus eā nocte qua cædem eius antecessit, visus si-
bi est inter nubes volitare, & cum Iove manus jungere: indicio
haud obscuro, quod mox inter divos referendus esset. Accia ma-
ter Octavii, quum eum utero gestaret, somniauit viscera sua ad ss-
dera efferrari, explicariq; per omnem terrarum cæliq; ambitum. Visce-
ra scil: filium Octavianum significabant, cuius potentia in terris usq;
ad divinitatis opinionem sese erat explicatura.

Sed ecce, dñm in eo sum, ut occulto phantasiae motus vobis pro-
bem, interim re ipsa illos in me experior. Dum n. hanc telam perte-
xere intendo, visus sum mihi audire voces istorum Candidatorum
ornatiſſimorum rogantium & urgentium, ut ex hoc somnio evi-
gilem, atq; orationis meæ cursum ad finem inflectam: ut quod ipso-
rum virtutis et eruditio ni præmium jam dudum decrevit ordo phi-
losophicus, tandem exolvam, votumq; ac desideria ipsorum expla-
nam. Visus quoq; mibi sum audire voces vestras de aurium satietate
conquerentes, ac deprecantes pro istorum honoribus maturandis;
Agite igitur, abrumpam & visioni parebo.

Sequuta est renuntiatio.

SPLEN-



SPLENDIDO ET NOBILI
LISSIMO EQVITI GUILIELMO
A WENSE &c. Dn: ET AMICO
meo charissimo.

MULTÆ sunt cauſſæ, Nobiliss: Guilielme, propter quas hanc de Philosophia orationem Tibi inscribendam esse duxi: duæ autem potissimum me permoverunt, quarum præcipua est admiratio Virtutis Tuae atque Humanitatis, quam ita cu[m] generis splendore conjunxisti, ut nesciam, utrum in te magis admirer; certè utrumque suspicio, quum ita se mutuo ornent, ut fulgida gemma ab operoso auro gratiam accipit, & refert vicissim. Altera est, quod haec tenus

solebas

Meas esse aliquid putare nugas;
& hanc ipsam orationem, suâ dignitate & merito nullam, Tu o tamen judicio, ex amore mei profecto, aliquā, quām Tibi placere sāpē testatus sis, nondum sum oblitus. Quare eam lubens emanē ipso, & quicquid mihi in ipsam juris fuit, Tibi totum transcribo. Tu, si ita videbitur, fœtum hunc præmaturum & crudum, utpote sub brumā paucis diebus nātum, pro Tu o in me & ipsum favore, complectere, fove, & Virtutum Tuarum splendore gratiōrē effice: me vero honoris ac nominis Tui studiosissimum, ut fecisti haec tenus, redamare perge. B. V. Dambam Altorſi: Calend. Quintil. Anno c̄l̄ c̄l̄ c̄ x.

T.

omni studio & fide

Ernestus Soneras D.

ERNE-

ERNESTI SONERI D.

ORATIO DE VITA CON-
TEMPLATIVA, RECITATA IN PRO-
MOTiONE BACVLARIORVM ALTORFII
xx. Decemb. Anno cīc ix.

Ad Splendidum & Nobiliss. Dn.

GVLIELMVM A VVENSE,
EQVITEM LVNEBURGICVM, &c.

Eleberrimus ille Rhetorum Isocrates, quum in convi-
vio à sodalibus rogaretur, ut in medium aliquid de elo-
quentiae suæ fonte proferret, id munus à se ita depreca-
tus est: Quæ præsens, inquit, locus & tempus exposcit,
ego non calleo: quæ ego calleo, nec loco præsentis sunt apta, nec tem-
pori. Eadem ego deprecatione, et si paulo aliter, hodierno die apud vos
uterer, Auditores illustres & Generosi, Magnifici, omnium ordinū
præstantissimi, nisi me expectatio vestra, quam quantum in me est,
fallere non debeo, & istorum quatuor juvenū merita, quorum vir-
tuti Collegiū philosophicum in hac splendidissimā luce præmium per
me exolvi voluit, ad dicendum impellerent, immo cogerent. Nam
quod huic loco conveniat, qui toties gravissimorum & eloquentissi-
morum hominum voce personuit, ego in philosophorum & Medico-
rum umbrā educatus, & neq; ingenio ad dicendū aptus, neq; instru-
ctus arte, proferre nequeo: quæ vero ex istorū scholis sine ambitio-
so verborum cultu hauſi, ea istum orationis splendorem, qui politas
vestras aures decet, vel oīo non recipiunt, vel certè à me non expe-
ctant. Verum quum frustra me deprecaturum esse, atq; omnium oculi
& vultu ad dicendum aliquid invitari intelligam, sanè permit-
tam me Humanitati vestra, & si minùs expectatione atq; aurib. ve-
stris dignum, saltem præsentī actui conveniens, aut non omnino ali-
enum quidpiam profari conaber, genere quidem orationis philoso-
phico, quod nec fastu turgeat, nec vilitate aut impuritate plane sot-
descat, sed aptum sit rationum momentis comprehendendis. Dicam

D autem!



autem De Vita Contemplativa , quantam præstet activa & ef-
fectiva , & quod nihil præstantius datum sit Hominibus Cogniti-
one ; idq; eā moderatione , ut , quod malorum oratorum est , si nulla
aliare , saltē brevitate vobis placeam . Quod dum facio , obsecro
vos & obtestor , ut benevolentia vestra aurā cursum orationis meae
prosequi velitis , quo ea , veluti secundis subiecta ventis , quem sibi
proposuit , scopum consequatur .

Tam vero vnumquemq; vestrūm intelligere arbitror , non de
quāvis contemplatione sive cognitione sermonem mihi esse
institutum : non n. de ea dicere est animus , quæ ad aliud quid-
piam sive persuadendum & docendum , sive agendum aut faci-
endum est directa ; qualis est Theologorū , JCTorū , Medicorū ,
cæterorum item artificum cognitio , quam passim hodie Θεω-
ρίας appellatione dignātur , dum horum alios Theoricos , alios
Practicos parū consideratē cognominant . Sed de illa , quæ Græ-
cis ἀπόλοις & μητέραις Θεωρίᾳ dicitur , quæ sibi ipsi finis est , in seip-
sa subsistit & acquiescit , nec tendit ulterius ad operationem .

Huius quanta sit dignitas & p̄stantia , velex eo satis clarè per-
spici potest , quod , si fas est homini aliquid de Deo balbutire , re-
cta ratio cogit , non aliā ei attribuerē operationem , quām con-
templationem : aut , ut planius dicam , ipsam Dei felicitatē , quā
æternum fruitur insatiabiliter , nihil esse aliud , quam contem-
plari , vt gravissimus auctor , summus Aristotelis interpres Ale-
xander ostendit . Quum enim nefas sit , atq; à cōmuni omni-
um hominum , quotquot divinitatis sensum aliquem habent ,
opinione remotum , credere Deum vel sensus & operationis o-
mnis expertem esse truncum , vel inertem & ociosam mentem
dormientem Endymionis somnum , necesse est sanè ei aliquā
νέργειαν vitæ intellectivæ adsignare . In eo enim pariter omnes
consentunt , viuere Deum , & intelligere . At quum vita , quæ
ex intellectu traducitur , triplex sit , Contemplativa , Activa &
Factiva , (Græci commodius Θεωρητικὴ , πειδητικὴ , & ποιητικὴ
dicunt) atq; inde triplex prodeat operatio , , Θεωρία , πειδία &
ποίησις , certum est πειδητικὴ Deo competere nullo modo posse ,
multo vero minus ποιητικὴ . Est enim vita practica , quæ ex vir-
tute

tute morali ad honestatē est composita, moderatrix affectuum
& perturbationū. At qui & Θεός sublimius & excelsius est, quā
vt istos furentium perturbationum flatus ac tempestates senti-
at: humani animi est ista humilitas, vt, velut in alto mari exposi-
ta rupes variis ventorum & fluctuum impetus patitur, sic ipse
quoq; variorum & vehementium perturbationum motu im-
pelli, affectuū cupiditatib. rapi atq; percelli possit: Deus O. M.
vt est supra hanc fortē, extra omnem fortunæ aleam positus,
fruiturq; sempiterno ac felicissimo ævo, ita neq; turbari adver-
sis, neq; secundis rebus affici potest. Accedit quod omnes vir-
tutes ethicæ exerceantur cum ~~πραγμάτει~~ quæ finis est consulta-
tionis; consultatio a. omnis de rebus incertis suscipitur, quæ a-
liter evenire possunt: (non minus enim stultum est de rebus ol-
mīnō certis, quam de impossibilibus deliberationem institu-
ere:) Mens vero divina non operat incerto eventu, nihil ei ob-
scurum quod agit, nihil incertum, aut dubium, vno intuitu me-
dia & finē cognoscit, non disponit calculos, aut rationis discur-
su demum investigat, qua viā ad finē perveniat nullum, ei ob-
stat impedimentum, expedita sunt omnia. Audiamus a. ipsum
Philosophum in divino opere Ethicorum divinè in hanc sentē-
tiā differentem. Quales nam, inquit, actiones diis immorta-
libus attribuere convenit? iustas ne? sed ridiculi sanè viderent,
si commercia facerent, deposita redderent, atq; alia huiusmodi
inter se contraherent. Num quid fortes, vt formidolosa sustine-
ant, periclitenturq; quia honestum sit? An liberales? sed cui da-
bunt? absurdum quippe, si etiam nummum, aut tale quidpiam
eis adesse dicamus. Si temperantes eos esse asseruerimus, quid
nam eiusmodi essent? si quidem quod pravas cupiditates non
habeant, molesta atq; invidiosa laus est. Si demum omnia per-
curramus, quæ ad actiones morales attinent, parva & indigna
diis esse videbuntur. At vivere deos oēs existimant, quare etiā
operari: ei autē qui vivit, & omni caret actione, ac multo ma-
gis effectione, quid restat p̄ter Contemplationem? Quare Dei
operatio, quum beatitudine excellat, Contemplativa erit. Sed
quid? si non tantum temeritas & inscitia, sed extrema impietas

est quicquā Deo tribuere imperfectum, quū ipse fons & auctor
sit omnis perfectionis, ecqua religione virtutēm, sive πνεύματι
ei adscribere non verebimur? quam imperfectam esse ex eo in-
telligere licet, quod propter se ipsam non expetitur, sed ppter
vitam beatam quæ in contemplatione consistit, quam virtutis
præmium ideo dixit Seneca. Propterea enim nobis proposita
est virtus, inquit Lactantius, vt per domitis libidinib⁹, rerumq;
terrestrium cupiditate superatā, puræ ac victrices animæ ad De-
um, hoc est ad originem suam revertantur. Satis hoc ipsum de-
clarat, quod maxima virtutis vis est in preferendis malis; quod
negligit omnia quæ pro bonis concupiscuntur; quod summus e-
ius gradus ad mortem patet; quandoquidem vitam, quæ opta-
tur a cæteris, persæpè respuit; mortem quā cæteri timent, for-
titer suscipit. Sane tot sustentati & superati usq; ad mortem la-
bores, absq; præmio haberi non possunt: si enim virtus divitias
opes, voluptates, & cætera huiusmodi, quæ alii avidissimè sectā-
tur, contemnit quia fragilia sunt & viliora; ergo contemnit vt
solida & præstantiora consequatur: ipsa igitur beata atq; perfe-
cta non est, sed perfectionem quærit: ubi v. nisi in Contempla-
tione divinorum, (hæc enim simpliciter Θεωρία est, quæ est τῶν
θεῖων ὄργανος) quam tanti esse dicebat Anaxagoras, vt quascunq;
miserias propter eā libeat sustinere? Quod si igitur nihil in Deo
imperfectum, si seipso nihil habet perfectius aut sublimius, cu-
jus aditu prohibetur à perturbationū æstu, quem prius virtute
restringere necesse habeat, si perpetuo degit vitā optimā nun-
quam cæptā, nulloq; ævo finiendā felicitate; vanitas est ipsi vir-
tutes morales, aut vitam activam adsignare: insania a, prorsus
eundem ad vitā effectivam sive πολυτήν deprimere, utpote quæ
multo adhuc, quam activa sit ignobilior, hominibus ad suble-
vandam humanæ fragilitatis & mortalitatis indigentiam con-
cessa. Sed video hic grandem mihi exoriri tempestatem à The-
ologis, qui tantum anathemate me non ferient, quod videbor
illis justitiam Deo denegare quæ est activa, creationem mundi
tollere, quæ πίστη videtur, providentiam evertere, quæ omniū
virtutum concursu & cōspiratione admirabili à Deo exercet.

Ecquid



Ecquid enim clamitabunt, justitia tibi nō est, quā severè in vi-
olatores legis & contumaces Deus animadvertis? aut fortè ne
hoc quidem facere eum dices? Ecquid tibi liberalitas non est,
qua egenis subvenit, & divites inanes dimittit: numquid beni-
gnitate & clementia non vtitur ergo pios & probos? an non ira
& furore exardest in sui contemtores, atque elatos deprimit?
Meliora, ô viri reverendi; æquioribus, quæ so, animis atq; aurib.
dicta mea accipite: nulla unq; tanta pectori meo insedit impietas
nihil istorum nego, & tamen quæ haetenus à me disputata sunt,
verissima esse arbitror. Vos v. videritis vtrū facilius mea dicta
refellatis, an ego vobis respondeam. Si essentia divina simpli-
cissimè simplex est, & immutabilis, quod ne ipso quidem nega-
tis, & cogit necessitas, estq; ab omni compositione tam substanciarum
inter se, quam accidentium & qualitatum cum substancia
coëuntium aliena & immunis, velitis nolitis, cogimini fateri
nihil istorū verē & pprie in Deo existere. Nam si habitus istos
inesse concedatis; compositum ex substantia & accidentib⁹ sta-
tuitis. Si mentem practicam aut factivam tribuat; mutabili-
tatem asseritis, & aliquid Deo sublimius ponitis: si quidem o-
mnis περίεις & omnis πόνησις ad finem nobiliorem tendit, muta-
turq; intellectus tum practicus tum factivus, appetitu & intel-
leccione boni quod extra se est, cuius causa agit. Quodnā vero,
dicte mihi, bonū extra Deum est, quod ipsum movere queat?
Aliam igitur & longè eminentiorem rationem esse oportet, qua
ista Deo competunt, cuius similem in aliis etiam substantiis in-
corrupribilibus cernere licet. Solem dicimus calidum, tantum
quia calefaciat, quamvis reverà calidus non sit. Eundem vitalē
nuncupamus, quia inferiora omnia vivificet, vegetet, nutritio-
nis, & generationis auctor existat, quum ipse neq; vitā in se ha-
beat, neq; vegetetur, neq; nutriendi aut generandi facultatem
yllam reverà sit fortitus. Simili modo, quæcunq; nos à Deo ac-
cipimus, justa, clementia, benigna, liberalia appellamus, tanquā
à justitia, clementia, liberalitate profecta sint, quum tamen istæ
appellationes in objecto demum patiente extra Deum oboriā-
tur, pppter similitudinem earum affectionum, quæ alias à talib.

D 3 virtuti-



virtutibus proficiscuntur: neq; n. necesse est, omnem effectum
esse homonymon suæ causæ, aut solem quoq; revera calidum
dicere oportebit. Addo propter eam quoq; caussam Deum dici
justum, liberalē, misericordem, quod quæcunq; ipsius voluntati
patimur: (quæ quidē, cœi ipse ea egisset humano more, acti-
onū eius opera impropriè vocare solemus) alienissima sunt ab
effectibus vitiorum, quæ istis virtutibus in homine sunt oppo-
sita: schola philosophorū vno verbo diceret, tribui Deo virtu-
tes non positivè, sed per negationem vitiorum: justus enim est
quia non iniustus; liberalis, quia non tenax aut avarus; miseri-
cors, quia non crudelis; & sic de reliquis virtutibus. Quid ergo?
jūstissimum dicimus esse Deum, sed sine justitia, si p̄priè loqui
velis; benignissimum, sed sine benignitate: summe misericor-
dem, sed sine misericordia: liberalissimum, sed sine liberalitate.
Si accuratè loquendum sit, fontem potius justitiae, clementiae,
liberalitatis, cæterarumq; virtutum dicere eum necesse erit, q̄
justum, clementem, liberalem. Ut enim rivus fons non est, et
si à fonte emanat: & vt fons non est rivus, nec rivū in se haberet
rivi tamen, qui extra est, origo: ita mens divina omnis bonitatis:
atq; virtutis fons est, licet neq; virtutem in se habeat, neq; habe-
re possit aut velit, tanq; aliquid sua maiestate vilius. Simile quid
in numeris videmus qui ab unitate omnes descendunt, & vari-
as sortiuntur affectiones, nullus tamen eorum est, in ipsa unitate:
vt neque affectiones ipsorum. Non igitur simpliciter negamus
ista Deo cōpetere, quin imò exultamus in illis Dei nostri attri-
butis, & gloriamur, adeoq; spem omnem nostræ salutis æternæ:
inde max. confirmamus: sed modum verum quo conveniant
exquirimus, proprietatem vrgemus, rem ipsam interim firmi-
ter tenentes: qđm nec qui Solem calidum esse negat, eundem
quoq; p̄tinus negat calefacere, aut caloris auctorem existere.
Verum instant, expressè hæc in sacris literis Deo adscribi. Quid
tum: Si hoc satis est, alas quoq; eum habere & pedes credatis, o-
portet, quia ascendisse & descendisse expressè legitur. Mirum
est profecto, ea quæ ad corpus spectant, omnes agnoscere & fa-
teri figuratè de Deo dici, non itidem ea quæ sunt animi: quasi
vero



vero corporis tñ materiali apparatu, non etiam animi potentia-
s & qualitatibus à Deo simus discriminati. Eadem est ratio effe-
ctionis: et si enim religiosa mente credimus, mundum & quic-
quid eius ambitu atq; complexu continetur, ab auctore Deo p-
disse, & in eo divinam potentiam cum veneratione suspicimus,
factum tamen eo modo, qui $\pi\eta\mu\sigma$ dici possit, cum ratione ne-
gamus. Neq; enim materiam præexistentem in quam ageret, &
ex qua oia faceret habuit, neq; instrumentis ullis usus est, sine
quibus $\pi\eta\mu\sigma$ nulla exercetur, sed solo nutu ac bonitatis suæ im-
mensæ diffusione oia constiterunt. Quis unq; dixit Solem effice-
re lumen, aut hominem efficere ridendi facultatem, vel aptitu-
dinē ad capiendas disciplinas? quis non intelligit, hæc sine effe-
ctione fluere ab essentiis quarū sunt sequelæ? Haud aliter, quæ-
cunq; Entia à primo Ente promanarunt, sine laboriosa produ-
ctione eius extiterunt, & immensæ virtutis ac bonitatis uberta-
tē consequuta sunt, in hoc ab illis differentia, quod quæ res crea-
tas sequuntur, sequuntur necessario, unde Sol nunq; potest non
spargere radios, aut fundere lumen: quæ autem creatoris ineffa-
bilem Entitatem, ut loquar cū scholasticis, consequi possunt, ea
non necessario, sed quando libuerit, exundant: hoc n. singulare
creatoris privilegium est, cunctis creaturis denegatum, quanq;
non metat aliter sensisse Aristo. Manifestum igitur est, ut op-
inor, divinæ ac beatissimæ menti, neq; $\pi\eta\mu\sigma$, neq; $\pi\eta\mu\sigma$ compe-
tere posse, adeoq; eam solum vivere vitam theoreticam. Si quis
tamen oio contendat practicā quoq; & factivā ei esse conceden-
dam, esto sanè, tametsi id concedere nulla nos cogit necessitas;
nihilo minus principem locum obtinebit $\Theta\epsilon\omega\rho\mu\alpha$, quod ad pro-
positum nostrum max: pertinet. Nemo n. arbitror eò desinen-
tiæ & temeritatis descendet, ut Beatitudinem Dei in istis opera-
tionibus positam esse affirmet, aut si quis est, qui adeo parùm in-
telligentiam suam excutiat, ab eo sciscitari libet, nunquid putet
D. O. M. ante conditum mundum, quum nondū esset in quem
justitiam, benignitatem, aliasq; virtutes exercebat, an, inq;, pu-
tet, eo tempore, Deum fuisse beatum? si neget, profanus est, &
indignus quo cum disputet: si afferat, fateatur simul necesse est,

Beati-



Beatitudinem divinæ mentis, qua nūnq̄ caruit, in his virtutibus,
carum ve actionib; non esse constitutam. Attamen in operatione
aliqua esse illam oportet, quandoquidem substantiæ viventis vi-
tam intellectivam felicitas, ocīū aut somnus non est, sive conti-
nuus, sive interceptrus labore: rat nullā restat operatio mentis, p-
terq̄ rheoria: hæc igitur est divinæ mentis c̄rēp̄ḡa; hæc felicitas
& beatitudo eius. Videte, Auditores optimi, quanta sit huius vi-
tæ, Contemplativæ inq̄, præstantia, quanta dignitas? ipsum su-
premium Ens, Ens Entium, Mens divina, cuius numen cuncta
venerantur, majestatē stupent, imperii nutum contremiscunt,
ad cuius bonitatem oīa suspirant, hanc & non aliam vitam deli-
gere voluit aut potuit, in qua admirandæ majestatis suæ solium
firmaret, gloriæ splendorem effunderet, bonitatis rivos pande-
ret, ac beatissimè degeret. Quid putatis amplius accedere posse?
Dicam: quia dixi parum, quanquā vereor ut, quod dicturus sum,
fidem inveniat apud eos, qui aures nunquam præbuerunt phi-
losophis: ferè enim quæ novitate in usitatâ animum percellunt,
fidem etiam apud imperitos amittunt, Quid illud est? Non so-
lū, Auditores, Dei operatio est actus contemplandi: sed est ipse:
met Deus: Hoc n. summa simplicitas primi & summi Entis exi-
git, quæ non admittit āλλο. C. āλλο in sui essentiâ, ut idem in co-
sint quod intelligit, q̄ intelligitur, & ipsa intellectio. Nam si eius
substantia nō esset ipsem et intelligendi actus, daretur in eo āλλο
n̄ āλλο: actus scil: intelligendi ab intellectu diversus, & non esset
perfectissim⁹: quippe perficeretur deum hoc actu, qui eius est
felicitas. At impium est vel umbram alicuius imperfectionis
imaginari in perfectissimo Ente. Hinc Philosophus in 12. Theo-
logiæ suæ deduxit, non tantum Deum vivere æternam & opti-
mam vitam, sed esse ipsammet vitam æternam, beatitatē suam,
unde necessario sequitur felicitatē eius nullis intervallis inter-
stingui, nullo ævo finiri posse. Ut n. necessario semp est, fons oīs
essentiæ, ita necessario semp est beatus, quia beatitudo ab Essen-
tia ipsius non est diversa, quod sane max: conveniens est divinæ
majestati, ut nunquam miser evadere possit. Porro quia beatitu-
do hæc eius est essentia, estq; vita contemplativa, intellectio ni-
mirum



mirum sui ipsius, iterum patet, quod eam cum vita practica aut
effectiva permutare nunq; possit, nisi cum etiam Esse suum, cū
alio Esse cōmutare velis, quod ipsius immutabilitati, & immor-
talitati repugnat. Verum quia hæc forte non ad omnium captū
dicuntur, ad magis popularia se mea convertit oratio. Dicet for-
san aliquis, quorsum ista de contemplatione quæ Dei operatio
& Essentia dicitur? expectabam ego de illa vita contemplativa,
cuius Homo sit capax, & qua nihil homini præstantius datum
esse dicebas. Sustine quæso; huc jam ibam ipse, ut ostenderem
eam vitā quæ est simpliciter optima ac nobilissima, adeoq; opti-
mi Entis, esse hominis quoq; proprium & summum bonū. Id v.
ut intelligamus, hæc mecum, quæso perpendite. Fons & origo
rerum oīm est D.O.M. ex cuius fœcundo gremio, cuncta q; sunt
præter ipsum, pullularunt, eā qđem conditione, ut quæ ab ipso
ceu bonitatis principio recesserunt longius, minus de bono par-
ticipent, habeant vero privationis amplius: cuncta tñ pariter
ad ipsum ceu bonitatis fontem, qui solus à seipso, non aliunde
participatam habeat bonitatē, naturali instinctu nitantur atq;
anhelent, veluti ad principium cuius bonitate p̄tivari, & à quo
divelli ægrè fertunt: qua ratione merito Deus principium &
finis omnium dicitur; ut n. ex eo omnia prodeunt, ita quoq; ad
ipsum redeunt omnia, estq; redditus iste ad felicitatem iter, quod
quæ plenè absolvunt, finem cum principio jungunt: quæ vero
imperfectiora ac debiliora sunt, círra subsistunt, longius, proxi-
mius, pro perfectionis aut imperfectoris suæ gradu. Neq; enim
oīa finem assequuntur, et si maximè omnib. sit propositus, μά-
κιστε γαρ ἔνεις τοχεῖν αερον πᾶσι Γένησι, inquit Philosophus 2. de
Cælo: t. 66. Sed accidit perinde ut in sanitate: qđm enim qđam
corpora optimâ gaudent atq; fruuntur sanitate: quædam autē
non quidem fruuntur, facile tamen, ut levi aliquo exercitio ad
eam perducuntur: quædam omnino perduci ad eam nequeunt,
sed tantum eò, ut proprius à sanitate absint, non tñ attingant: ita
quæ à primo Ente descendunt, suo quæq; modulo, ac mensura
se ei rursum assimilare student, eiusq; tum eternitatē, tum ope-
rationem quæ beatitudo est, imitantur perfectius, obscurius.

B

Sic



Sic videm elementa operationem quidem Dei, in qua bonitas est, imitari motu recto, admodum ignobili, quia terminatur quiete: æternitatem vero generatione sibi similis, & propagatione speciei. Cælum a. & æternitatem imitatur perfectius, tenet n. eam in individuo: & operationem motu nobiliori, volvit enim in seipsum perpetuò sine quiete, ut tamen totum loco non moveatur, quod etiam divina intelligentia intelligendo in seipsam redit immutabili constantiâ. Ita cæterorū Entium unumquodque peculiare habet imitationis modum & terminum, qui suè quidem speciei extremus sit ad quem pervenire liceat, non tamen absolute ultimus ad quem adspirat. Solus homo non imitatur tantū, sed assequitur etiam beatitudinem divinam, quadam tenus quidem in hac vitâ, perfectius a. in futurâ: quia solus habet mentem contemplativam, quæ est particula divinæ mentis. Hinc contemplatio aut vita contemplativa meritò eius proprium bonum censetur, quia cum nullo cæterorum animalium eam habet communem: propter quam caussam philosophus in 10. Ethico scriptum reliquit, cæterorū animalium nullum posse esse felix, quia nullum sit contemplationis capax: eousq; n. se se extendere felicitatem, quousq; pretenditur contemplatio, & quibus magis inest contemplatio, iisdem quoq; magis competere felicitatem; ideoq; Diis totam vitam esse beatam, quia nunquam in contemplando defatigentur; in quam sententiam etiam in Metaphysicis differuit, optimam vitam Deo esse perpetuam, quæ homini paucō tempore conveniat, puta in hac vita, in quâ s̄p̄ius à contemplando avocatur. Quamvis a. aliquando dicat, homini istam vitam competere non qua homo est, sed qua divinū quid in ipso, non hoc vult, vitam istam non esse hominis propriam, sed non esse perpetuam: quia propter mortalitatis indigentiam ad humiliora aliquando deprimitur. Nam ibidem mox asserit illud divinum esse maximè hominem; si max. est homo: ergo quæ secundum illud vita traducitur, max: erit hominis propria, ideo etiam reprehendit Simonides tam in Ethis, quam in Metaphysicis, quod edixisset mortalibus mortalia sapere: & contra potius p̄cipit mortales quum simus, enitamus quantum



quantum licet ut reddamus nos immortales, h. e. vitam ex di-
vino illo & immortali quod in nobis est, transigamus: id n. max:
esse unumquemq;, quod in ipso est præstantissimum, Hanc ob-
causam dictum est à Seneca, hominem esse partem Dei, totum-
que esse plenum Deo; nempe Mentem significavit Theoreti-
cam, divinæ particulam auræ, vitamq; beatam quæ est ipse De-
us, quam mentis beneficio homo consequitur. Quid enim est
inquit, cur non existimes in eo divini aliquid existere? Totum
hoc quo continemur Deus est, & socii eius sumus & membra:
Capax est noster animus, perfertur illò si vitia non deprimant,
in hoc à natura formatus, ut Diis paria velit. Nam si aliena vi ad
summa riteretur, magnus erat labor ire in cælum, & alibi: Vis
isthuc divina descendit, animum excellentem cœlestis potentia
agit: non potest res tanta sine numinis præsentia stare: itaq;
animus noster majore sui parte illic est, unde descendit. Quem-
admodum n. radii solis contingunt quidem terrā, sed ibi sunt,
unde mittuntur: sic animus magnus & facer, & in hoc demissus,
ut divina ppius nossemus, conversatur quidem nobiscum, sed
hæret origini suæ, illinc pendet, illuc spectat ac nititur. Attendi-
te obsecro, quomodo huius divini boni capax sit homo, q; ai ipse
est pars, & socius, & membrum Dei.

Sed quid multa? nonne satis indicii nobis suggerit innata cu-
piditas quâ ad scientiam contemplationemq; ferimur omnes?
Nonne ipsius corporis status & oris figura declarat excellentius
aliquid in nobis, quam in pecudibus, esse? illarum natura in hu-
mum pabulumq; prostrata est, nec habet quidq; commune cum
Cælo, quæd non intuetur. Homo a. recto statu, ore sublimi, ad
contemplationem mundi eiusq; caussæ excitatus, confert cum
Deo vultum, & rationem ratio cognoscit. Propterea nullum
est animal, ut ait Cicero, præter hominem, quod habeat aliquā
notitiam Dei: solus n. sapientia instructus est, unde etiam solus
religionem intelligit. Capit igitur homo hanc operationē, con-
templationem nimirum, quam Dei felicitatem esse diximus:
hæc enim simili citer& absolute cōtemplatio est, unde Θεωρία
q: θεωρογον δictā volunt. capit vero? imo ita, ut propriam sibi

E 2 vendicet



vendicet præ cunctis animantib. cāq; à bestiis, non dicam p̄ci-
pue, sed solum distet. Nam cetera quæ videntur hominis p̄pria,
etsi non sint talia in brutis, tamen similia videri possunt. Sunt
in eis simulacra quædam virtutū moralium, castitatis in Equo,
pietatis in Ciconia, magnanimitatis in Leone, sunt etiam libera-
litatis, cæterarumq; virtutum: sunt & prudentiæ civilisq; vitæ
vestigia, quibus societatem humanam imitantur: nam imperii
speciem exercent, judicia agitant, accusant, damnant, supplicia
irrogant: bella gerunt, legunt cohortes, aciem instruunt, excubi-
as agunt, & alia huiusmodi civilis vitæ munia obeunt. Exercent
etiam opificia & vitam mīlēnī: mellificant apes, aves sibi nidos
construunt, araneæ texunt, nent staminabombyces. Quid tam
propriū videt homini, quam providentia futuri: at qui sunt ani-
malia quæ latibulis suis diversos & plures exitus pandant, ut si
quod periculum inciderit, fuga pateat oblessis. Alia provident
in futurum, ut

— Ingentem formicæ farris acervum
Comportant, hyemis memores, tectoq; reponunt.

Item apes,

Quæ patriam solæ, & certos novere penates,
Venturæque hyemis memores æstate laborem
Excipiunt, & in medium quæsita reponunt.

Proprius homini putatur sermo, tamen & illis quædam inest
quoq; sermonis similitudo. Nam & dignoscunt invicem se vo-
cibus, & quum irascuntur, edunt sonum jurgio similem, & quū
se ex intervallo vident, gratulandi officium voce declarant. No-
bis quidem voces eorum videntur inconditæ, sicut illis fortasse
nostræ, sed ipsis, q; se intelligunt, verba sunt: deniq; in omni af-
fectu certas notas exprimunt, quibus habitū mentis ostendant.
Risus quoq; homini proprius censetur & tamen videmus in ali-
is quoq; signa quædam lætitiae, quum ad lusum gestiunt, aures
demulcent, rictum contrahunt, frontem serenant, oculos in la-
sciviam resolvunt. Solius veritatis gustum nullum habent, eius
dico, quæ in Contemplatione spectatur; à sola sapientia & vita
contemplativâ exclusa sunt; quum reliqua omnia quodammo-
do



do participare videantur, solius mentis theoreticæ ne umbram
quidem ullam ostendunt. Sola igitur mente contemplativâ nō
practicâ, non factivâ, homo se effert supra pecudū sortem, atq;
nobiliori loco se collocat. Eādem a. ad Deum accedit quam p-
ximè, quâ fas est homini: unde Plato philosophiam (hæc n. cīt
ista contemplatio de qua agimus, max. Metaphysica sive Theo-
logia) definivit quod sit similitudo hominis cum Deo: hac n.
homo diis paria conatur, ut loquitur Seneca. Ex quo perspicu-
um est, non solum esse hominis pprium, sed etiam maximum
bonum: nihil enim majus aut sublimius, nihil melius est Men-
te divina, ulterius ad bonū nihil provehi potest, quam vt Deo
reddatur simile. Hinc in Metaphysicis ait philosophus, si in divi-
nam naturam caderet, ut invidere quædam posset hominibus,
sicuti poëtæ fabulantur, Deos max: invisuros esse homini hanc
vitam, utpote qua nihil præstantius ip si possideant: Sed nec in-
videt, inquit, natura divina, & secundum proverbium πλλὰ ψέο-
δον) αἰσιδοί. Neq; putandū est aliud significasie antiquos per ignem
quem Prometheus Jovi suffuratum, ob eamq; caussam ad Cau-
casum relegatum esse tradiderunt: huc n. respiciebant, ut vel è
célo nihil preciosius auferri potuisse ostenderent mente & vi-
ta theoretica. Et quid, quæso, aliud existimabimus velle sacras
literas, qñ hominem ad imaginem Dei atq; similitudinem con-
ditum esse asserunt, quâm conditum esse ad similitudinem ope-
rationis & felicitatis divinæ, quæ est contemplatio Dei? Nolite
etiam credere, Auditores, aliam fore ineffabilem illam felicitatē
vitæ æternæ, quam eadem sacra oracula piis pollicantur, quam
philosophiā perfectam, contemplati Deum de facie ad faciem,
non oculis corporis, his n. Deus non cernitur, sed mentis. Testi-
moniū ex ipso Veritatis pectore vobis affero: Hæc est vita æter-
na, inquit Veritas, ut cognoscant te solum verum Deum, & quæ
sequuntur. Audite etiam electū Veritatis instrumentum, pco-
nem Apostolum, qui, quid speraret fore vitam æternam, non a-
liter expressit, quam cognitum se ibi de facie ad faciem, quæ
hic per speculum cernebat. Ecce cognitum se inquit, non fa-
cturum aliquid, Neq; enim eò ad humilitatē, patientiam, tem-

E 3 peranti.



perantiam, justitiam, aliasq; virtutes morales, ad opum & vanitatem mundi contemtu invitamus Legib. divinis atq; humanis, ut scil: hic rudimenta ponamus eius vitae, q; olim in nobis eadē perficienda sit, q: tum etiam his virtutib. locus sit futurus, aut talis beatitudo nobis expectanda, quæ sit istarum virtutum actus: nihil minus verisimile: durabit quidem charitas & amor mutuus beatorum, cessabit a. officiorum vicissitudo, quippe quum nulla ibi futura sit indigentia: sed ideo nobis ista p̄cipiuntur hic, quia cognitionem perfectam, summumq; bonum nemo adipiscitur nisi qui vana contemserit, affectus ad mediocritatem temperaverit, q; dicitur virtus; ut scil: hic beatitudinem illam saltem gustare incipiamus, sedatis cupiditatum fluctibus, in cuius possessio- nem plenam olim, qñ dabuntur nobis spiritalia corpora, q; perturbationum foco non æstuabunt, immittendi sumus. Hoc intellexerunt etiam Philosophi, & aperre docuit Aristoteles, dum scribit Prudentiam non Sapientiæ imperare, sed Sapientiæ caussa. Non enim sapientiam quærimus, ut virtutibus Ethicis perficiamur, sed virtuti studemus, ut sine impedimentis sapere & contemplari possimus. Siquidem mens nostra dum in hoc mortali corpore detinetur, quod subinde variis jaestatur impulsibus, veluti nubibus ac fumis ex ardente cupiditatum foco excitatis impeditur & prohibetur à contemplando: extincto a. isto igne, fumisq; disiectis, liberè se erigit, atq; in divinæ Majestatis campū contemplando se esse effert. Hinc etiam testatus est idem, neminem esse theoretici boni capacem, nisi qui practicū naestus sit. Idipsum voluit Plato, dum philosophiam dixit esse mortis meditationē, non eam, quam Cleombrotus de faxo se p̄cipitans perperam intellexit, sed abstractionem mentis à corporeis vinculis: quum n. minimè vivimus vitâ corporis, maximè vivimus vitam mentis: vnde Apostolus, postq; ad gustandā futuram illam perfectam felicitatem ad tertium cælum raptus fuisset, ipse dubitavit, utrum in corpore, an extra corpus constitisset: nempe mentis oculis aspexit illius gloriæ splendorem, corpore interim ocioso & q: emortuo.

Quando ergo tanta est præstantia Contemplationis, q; philosophia dicitur ac sapientia, tantaq; dignitas ac bonitas, quin



exclamamus! O decus philosophia eximium? o ineffabile bonum? quid non modo nos, sed oīo vita hominū sine te esse possit? tu nos vere facis esse homines; tu supra pecudes nos effers, tu Deo reddis similes, cæloq; collocas: felicem qui te vel eminus suspicit; ter v. quaterq; beatum, qui te possidet. Hanc igitur se-temur auditores optimi, huic nos tradamus, huic toto incum-bamus pectore: quisquis es, sine hac miser & vix homo es: quisquis es, cum hac eris felix atq; fernideus: nihil igitur eā potius nobis sit, aut antiquius, ne similes videamur gallo Æsopico, qui quum cibum quærens, gemmam preciosissimam invenisset, mili granum ei præposuit.

Multa adhuc restant, Auditores, de eius utilitate quæ latissimè se per omnes scientias & artes, immo per oēs actiones humanae effundit: max: ppter eos, qui quum nihil aliud quod reprehendant, inveniant, ociosa somnia & inutiles subtilitates objiciunt, quodq; nullo in honore sint philosophi, ideoq; non modo aspernantur ipsi, homines quæstuarii qui ad lucrum & ambitionem omnia referunt, verum & aliis, ut hanc vitam contemnant suasores & hortatores existunt. Hos ego semper judicavi similes illi vulpeculæ, quæ postq; caudam amiserat, callidè omnib. sui generis persuadere nitebat, ut sibi quoq; caudas amputarent, quo multitudine sociarū turpitudinem suam velelevaret, vel solaretur. Ego v. Auditores, ut de contemptu taceam, ne videar propriam quodammodo caussam invidiose agere, qui licet Philosophus non sim, à philosophia tamē non sum alienus; tum etiā quia philosophi honorē p sua felicitate non cestimant, qui tamen sponte illos comitatur apud recte judicantes: de utilitate certe hoc ausim affirmare, nullam esse scientiam, nullā artem aut facultatem, quæ insignem à philosophia usum non capiat; q, non dicam plurimum, sed seipsum totam philosophiæ non debeat; quæ non principia sua, firmamenta, ac lucē ex primi Entis scientia habeat. Ut n. primum Ens sui bonitate peperit cuncta alia Entia; ita prima scientia, quæ est primi Entis contemplatio, cæteras oēs q: germina de se pduxit. Et ut numerorū scientiam pfectam nemo assequi potest, qui unitatē ignoret,



ret, q̄ ex unitate oēs numeri suam originem trahant: ita qui pri-
mum Ens ignorat, umbrā habet cæterarum scientiarū & somni-
um. Est n. ut unitas primum Ens ac summum bonum; ab hoc
oīa bona descendunt, quæ a. bona non sunt, sunt ipsius privati-
ones. At hoc bonum sola philosophia contemplatur, q̄ eadem est
Theologia naturalis, sola igit̄ philosophia, prima illa, lucem oīb.
scientiis impertit. Hinc Plato felices p̄dicavit eas Resp. in quib.
aut Philosophi p̄scent, aut reges philosopharentur: quia scil:
philosophi intuentes alteram faciem animæ mundi, qua ea de-
orsum versa leges rectitudinis dispensat, (quam Fatū dixit) quas
leges altera facie sursum ad Deum versa (quam p̄videntiam ap-
pellavit) à Deo accepit, non modo quid rectum, æquū atq; ho-
nestum sit intelligunt, verum etiam q̄ sit horum ratio, quis fons
& origo. Philophia imperandi rationem peperit, Medendi leges
invenit, artes efficiendi ad vitam necessaria p̄duxit: imo etiam
Theologiæ divinit̄ patefactæ haud leve robur fidei q̄ momentū
addit: non quod mens pia & religiosa quidq; de divinis oraculis
dubitare debeat aut possit, etiā sine philosophia: sed quod con-
firmet magis, si quæ à Deo cælitus demissæ sunt voces, eas ratio-
per lucem quoq; naturæ approbet, ostendens admirabile con-
sensum Dei & naturæ, quodq; Deus in omnibus suis operatio-
nibus invictâ constantia & rectitudine perpetuò sibi sit similis.
Dicit Theologia revelata; unum esse Deum, esse æternū, immu-
tabilem, sapientem, immensæ bonitatis: Theologi credunt. Phi-
losophia sive Theologia naturalis non dicit tantum, sed demon-
strat; Philosophi non credūt, sed sciunt. Dicit Theologia omnia
à Deo esse condita in tempore, animam esse immortalem, ho-
mines ex morte resuscitando esse: Philosophia etsi hæc certò fa-
cta aut futura non videt, possilia tamen omnia intelligit, vnde
confidentius assensum jis p̄abet animus noster. Plurima hui-
modi ex omni disciplinarum ac facultatum genere, afferre posse
sed jam longius progressum me esse intelligo, quam p̄posueram,
& retrahit me fides mea, de brevitate initio vobis data. Quare
hic finem philosophandi facio, & ad id adgredior, quò me oculi
vultus q; vester iam pridem vocare videntur.


Sequuta renunciatio.



153456

ULB Halle
002 677 407

3



VD 17



Omnumcantes et noctem nr̄ dic̄
natiſſimā celebiantes. qua beati
rie int̄migrata virginitas. huic mundi
saluatorē. **S**ed et memoriā uenerantes
mis filii ſecm gloriōſe ſemp vi. p̄mis mar
trias. cuiſidīn dei. et dñi nři ihu xp̄i. **S**ed et
torū apolloꝝ tuorꝝ

Omnumcantes. et dic̄m ſacrauſſimū celibai
tes. quo unigenitus tuus in tua tenū gloria. noſ
tus in ueritate carnis noſtre uisibiliter caro
apparuit. **S**ed et monogrammam

Omnumcantes et dic̄m ſacrauſſimū celibai
tes. quo dñs noſtre ihu xp̄c pio nobis at ſuodis
Sed et monogrammam. **D**anc igit̄ oblatos.

Farbkarte #13

B.I.G.



28.

ERNESTI SO-
NERI PHILOSOPH.
ET MED. D. IN ACADE-
MIA NORIBERGEN-
SIVM

Orationes duæ

- I. *De Insomniis,*
- II. *De vita contemplativa:*

PVBLICE AB EODEM HA-
BITÆ IN PROMOTIONE MA-
gistrorum & Baculariorum.



ALTORFI
Typis Theodorici, per Cunradum Agricolam.

M D C X

CL. V. Dn. Joanni Potinio, Eloquentia professori
in Illustri Acad. filia, amica recordationis ergo
cum salutem dom. Cunradus. Pittius M. I.